

tionem faciat, id vero est ipsum sibi Orbem eruditum per Te devincire.

Aequum et justum est, ut amico Tuo hortatui ac impulsui de maturanda rerum è longinquis terrae partibus his proximis annis nobiscum communicatarum editione, quantum in me est, respondere sat agam. Nec illi curae huc usque defui; Imprimis mihi cordi est Itineris in Arabiam felicem Regis mei jussu suscepti publicatio, cui sedulò opera impenditur, licet tabularum, quae ad id opus pertinent, in aes incidendarum elaboratio plus temporis quam vellem absumat, et has quidem absolvere oporteat antequam descriptio Itineris prelo queat committi. Quam primum autem ad finem perductum erit opus, meum esse judicabo, Te ejus praecipuè participem reddere.

Dn. Königium Tranquebariae versantem, quantum potero, sublevare cupidus, operam dabo, ut is aliquando intelligat, quantum apud me valuerit Tua commendatio. Mihi credas velim, Per-Illustris Linnaee, me nec ulla alia in re passurum, ut lateat, quo ego studio Te, tanti nominis tantique ingenii Virum, prosequar, cujus monumenta praestantissima, dum bonis literis et scientiis suum constabit decus, perennabunt. Vale, Vir Celeberrime, et gloria famae, quam Tibi innumeris et immortalibus in Orbem eruditum meritis peperisti, quam diutissime fruire incolumis.

Dabam Hafniae die III. m. Martii A. D. MDCCLXX.

Johan Zoëga

i. 1742. d. 1788.

(88)* Nobilissime Domine Professor
Fautor et Amice aestumatissime.

Non quidem voluptati duco Litterarum commercia, quae non aliud continent, quam quod in plerisque deprehendi solet; ea tamen, quae pristinos in memoriam reuocant amicos, quae-